



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XLII. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Regem. Monet vt bona ablata a monasterio sanctimonialium restituenda curet: quod nisi intra sexaginta dies fecerit, & per legatum id sibi nuntiauerit, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

misericordiam, quam Deus noster ecclesiæ in Spiritu sancto dedit facere posse, nullatenus vobis iam conuersis tribuere omitemus: nam sicut vere satisfactionis confessionibus parcendum est, dicente Domino: *Cum conuersus ingemueris, saluaberis; & adhuc te loquente, dicam, Ecce adsum:* ita vero in scelere impiis manentibus miserendum non est: quoniam misericordiam aliquam vobiscum ante fructum dignum pœnitentiæ facere omnino nequimus, eo quod misericordia sine controuersia quæri debet, vt salus sit disciplinæ: nam dicente sancto Gregorio: *Sæpe pietas per immoderatam misericordiam errare solet, si fortasse percipit quæ parcenda non sunt; peccata enim, quæ ferri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verberare corrigenda; sed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit; vnde vobis respicientibus ne in futuro pereatis, parcere optamus.* Præterea si frater tuus, Neapolitanorum videlicet dux, per suos idoneos legatos nobis optata, & ea quæ oportet veraci relatu perficienda direxerit, eos gratissime recipientes, quidquid ratione sagaci retulerint, perficere pro ecclesiæ Dei vtilitate atque salute procul dubio parati erimus. Age igitur, & desudare pro communi prosperitate, imo pro salute tua, & ciuium tuorum non desistas, arguens, obsecrans & increpans cum omni imperio, vt labor tuus fructum desiderabilem in domo Domini pro quo digne remunereris afferat. Data vt supra.

S. Gregorius lib. 2. super Ezechielem, homil. 19.

EPISTOLA XLII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Monet vt bona ablata a monasterio sanctimonialium restituenda curet: quod nisi intra sexaginta dies fecerit, & per legatum id sibi nuntiauerit, vel causam cur non sint restituta, non reddiderit, eum excommunicat.

Ioannes episcopus Carolo † glorioso regi.

CVM generositatem tuam tanta claritas profapiæ regalis extollat, miramur & obstupescimus quomodo hanc tam sinister longe lateque discurrens rumor obnubilet, asserens & affirmans te Italiam ingressum ad monasterium

† Hic Carolus, qui Crassus nominatus est, postmodum imperator creatus, fuit filius

Concil. Tom. 24.

H

Ludouici
Germaniæ
regis, Lu-
douici Pii
nepos, Ca-
roli Magni
pronepos,
ad quem
nonnullæ
infra scri-
buntur epi-
stolæ. De
quo Ado
Viennensis
in sine chro-
nicorū, Re-
gino lib. 1.
chronico-
rum, Aimoi-
nus lib. 5.
& alii.
Dan. 1.
Psal. 61.

accessisse ancillarum Dei apud Brixiam constitutum; inde-
que cum illic ipse morareris, tyrannice aurum ablatum,
tam ipsius venerabilis monasterii, quam dilectæ filiæ no-
stræ Angelbertæ Dei cultricis: quod sibi ad ipsius præci-
pue cœnobii sustentationem procul dubio reseruauerat:
vnde mœrore vehementer afficimur, dolentes gloriam
tuam ad tam immane sacrilegii genus dilapsam, & instar
cuiusdam gentilis regis vasa domus Dei ad vsus proprios
inflexisse conatam. Atque ideo dilectionem tuam in Chri-
sti visceribus esse cupientes, monemus, & sacris conueni-
mus eloquiis cum Psalmista fatentes: *Nolite sperare in ini-
quitate, & in rapinis nolite concupiscere.* Si qua ergo a prædi-
cto pio loco, siue gloria tua sciente, siue nesciente ablata
sunt; industria tua diligentissime requirantur, & inuenta
in eo sine mora sub omni integritate restituantur: ne, quod
absit, si aliter egeris, & Deum contra te ad iracundiam
prouoces, & decus tuæ regiæ nobilitatis offulces, atque
nos ad hæc seuerius secundum ministerium nostrum pu-
nienda commoueas. Denique nisi post lectam hanc nostri
apostolatus epistolam, intra sexaginta dierum spatium,
thesaurum illum sine aliqua diminutione reddere propo-
sueris; ita vt missus tuus Romam in præsentiam nostram
ueniens, siue reddideris, siue nec reddideris, quidve hinc
agendum delegeris, veram & idoneam exposuerit ratio-
nem, eousque sis extunc excommunicatus, quousque ab
omni te rapinæ communionem reddideris alienum: duriori-
bus deinceps te sciens verberibus erudiendum, si his inter-
im leuibus tactus resipiscere forte contempseris. Ama-
mus enim te more paterno, & ab hac secunda idolorum
seruitute volumus scire liberum & immunem. Etenim
auaritia, secundum Apostolum, *est seruitus idolorum.* Opta-
mus, &c. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione decima.

Galat. 5.